



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 3. Lupus calumnians à vulpe leoni obiectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

ait: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius*, Achab scilicet, qui noluit audire Michæam consulentem bene; sed tantum credidit illis, qui optata prophetarent. Melior fuit Papyrius Cursor rege Achab. Ille enim maluit sibi vera, quamuis ingrata dici; iussitque grata mendaciter promittentem in prima acie stare, ut primus caderet. Quadrat in hunc pullarium optimè, quod Virgilius cecinit de alio augure, in proelio, quod cœperat, infelice.

*Cadit ipse Tolumnius augur,*

*Primus in aduersos telum qui torserat hostes.*

Cœpit quippe proelium, qui suavit proelium: nihil enim illi tunc homines, sine augurijs, incipiebant. Quod sæpe contingit hodieque, ut litium, rixarum, & bellorum auctores maxima litium, rixarum, & bellorum sentiant detrimenta.

§. III.

*Lupus calumnians à vulpe leoni obiectus.*

Par autem est, ut, quemadmodum bene consultum, & consulenti & consultori prodest; ita malè consultum ipsi quoque noceat consultori. Quod Varro his verbis indicavit: *Opinor, non solum, quod dicitur, Malum consilium consultori esse pessimum, sed etiam*

*H s*

*bonum*

Virgil.  
lib. 12. Æneid.

M. Varro  
l. 3. de re  
rustic. c. 16

bonum consilium ei, qui consuluit, & qui consu-  
 litur, bonum habendum. Sicut ergo sagitta in  
 militem loricatum missa resilit in jaculante-  
 tem; ita ab eo quem diuina armat prote-  
 ctio, consilium perniciosum retorquetur in  
 consulentem. Extat in hanc sententiam  
 apologus non inuenustus. Leonem, ob sen-  
 etiam, egrotantem, & ea causa suo in lustrum  
 continentem sese, cetera quidem animantia  
 officij gratia, visebant regem suum, excepta vulpe.  
 Proinde lupus nactus opportunitatem, ac-  
 cusauit vulpem, apud leonem laesa Maiestatis,  
 qua pro nihilo haberet eum, penes quem verum  
 erat summa, nec, ob contemptum, ad visendum  
 accessisset: atq; interea interuenit in lupi fabula  
 vulpes, & extremam sermonis partem audiuit.  
 Itaq; leo conspecta vulpe, protinus aduersus eam  
 infremuit. At illa postulato ad purgandum sese  
 spatium, Et quis, inquit, omnium, qui huc conue-  
 nerunt, tantum tibi profuit, quantum ego, qui  
 quoque versum circumcursum, tibiq; morbi  
 remedium a Medicis reperi? eumq; leo protinus  
 adixisset, ut remedium aperiret: si visum, inquit,  
 lupum excories, & illius pellem induas, conuale-  
 ces. Leo credulus continuo lupum inuasit & in-  
 teremit. Quo extincto risit astuta vulpes, ca-  
 lumniatoris malum consilium in ipsius recidisse  
 caput.